

era merita alicui in auxilium dat, sacerdotis interpretationem habet. Non autem loquitur secundum nominis significationem: est enim hoc nomen *sacerdos* institutum ad significandum eum qui sacra dat in sacramentorum dispensatione.

Ad secundum dicendum, quod res naturales efficiuntur in gradu super alia secundum quod in ea agere possunt ex forma sua: & ideo ex hoc ipso quod formam nobiliorem habent, in altiori gradu constituuntur. Sed ministri Ecclesie non preponuntur aliis ut eis ex propria sanctitatis virtute aliquid tribuant, quia hoc solius Dei est, sed sicut ministri, & quodammodo instrumenta illius effluxus qui fit à capite in membra: & ideo non est simile quantum ad dignitatem ordinis, quamvis sit simile quantum ad congruitatem.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod à Domino describitur fidelis qui est servus constitutus super familiam, ut det illis criticam mensuram: & ideo infidelitatis reus est qui aliter supra mensuram eius divina tradit. Hoc autem facit quicumque indignum promovet: & ideo mortale crimen committit, quasi summo Domino infidelis; & præcipue cum hoc in detrimentum Ecclesie vergat, & honoris divini, qui per bonos ministros promovetur. Esset enim infidelis domino terreno qui in eius officio aliquos inutiles poneret.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et si non possent tot ministri inveniri quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos quam multos malos, ut dicit beatus Clemens, & habetur distinct. xxiii. cap. *Tales ad ministerium.*

Ad secundum dicendum, quod temporalia non sunt querenda nisi propter spiritualia: unde incommodum temporale debet negligi, & omne lucrum sperni propter spirituale bonum promovendum.

Ad tertium dicendum, quod ad minus hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse; sed etiam exigitur amplius ut secundum mensuram ordinis, vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum: & hoc est quod Apostolus dicit I. Timoth. v. 22. *Manus cito nemini imposueris.*

SOLUTIO V.

Ad quintam quæstionem dicendum quod lex præcipit ut homo juste ea quæ sunt justa exequatur; & ideo quicumque homo quod sibi competit ex ordine, facit indigne, quod justum est; injuste exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquid sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud faciat: unde patet quod mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod non est perplexus ut necessitatem peccandi habeat: quia potest peccatum dimittere, vel officium resignare ex quo obligabatur ad executionem ordinis.

Ad secundum dicendum, quod jus naturæ est in dispensabile. Hoc autem est de jure naturali ut homo

(1) *Al.* quam regimen.

sancta sancte pertractet: unde contra hoc nullus potest dispensare.

Ad tertium dicendum, quod quamdiu minister Ecclesie qui est in mortali, ab Ecclesia sustinetur, ab eo sacramenta recipere ejus subditus debet, quia ad hoc est ei obligatus; sed tamen præter necessitatis articulum non esset tutum quod eum induceret ad aliquid sui ordinis exequendum, durante tali conscientia quod ille in peccato mortali esset; quam tamen deponere posset, quia in instanti homo à divina gratia emendatur.

Ad quartum dicendum, quod quodcumque exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesie, mortaliter peccat; & toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit: quia, ut dicit Dionysius I. c. celest. Hierar. *immundis nec symbola*, id est sacramentalia signa, *tangere fas est*: unde quando tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquid sacramentum contingeret, vel exequeretur, in illo casu in quo etiam laici liceret, sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si corpus Christi in terra projectum colligeret.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de distinctione ordinum: & circa hoc queruntur tria.

Primo. De distinctione eorum.

Secundo. De actibus singulorum.

Tertio. Quando imprimatur character in singulis ordinibus.

ARTICULUS I.

Utrum debeant plures ordines distinguui.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod non debeant plures ordines distinguui. Quanto enim aliqua virtus est major, tanto minus est multiplicata. Sed hoc sacramentum est dignius aliis sacramentis, in quantum constituit suscipientes in aliquo gradu super alios. Cum ergo alia sacramenta non distinguantur in plura quæ recipiant prædicationem totius, nec hoc sacramentum debet distinguui in plures ordines.

2. Præterea. Si dividitur, aut est divisio totius in partes integrales, aut in partes subjectivas. Non in partes integrales: quia sic non reciperent prædicationem totius. Ergo est divisio in partes subjectivas. Sed partes subjectivæ recipiunt in plurali prædicationem generis remoti sicut generis proximi, sicut homo & asinus sunt plura animalia, & plura corpora animata. Ergo & sacerdotium, & diaconatus sicut sunt plures ordines, ita & plura sacramenta, cum sacramentum sit quasi genus ad ordines.

3. Præterea. Secundum Philosophum in VIII. Ethic. cap. x. vel xii. regimen quo unus tantum principatur, est nobilissimum (1) regimen communis quam aristocratia qua diversi in diversis officiis constituuntur. Sed regimen Ecclesie debet esse nobilissimum. Ergo non deberet esse in Ecclesia distinctio ordinum ad diversos actus; sed tota potestas deberet apud unum residere; & sic deberet esse tantum unus ordo.

Sed contra. Ecclesia est corpus Christi mysticum, simile corpori naturali secundum Apostolum, I. Corin.

QUÆSTIO II.

inth. xii. Sed in corpore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo & in Ecclesia debent esse diversi ordines.

Præterea. Ministerium novi testamenti est dignius quam ministerium veteris, ut patet II. Corin. 111. Sed in veteri testamento non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum levitæ sanctificabantur. Ergo & in novo testamento debent consecrari per ordinis sacramentum non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum; & ita oportet quod sint plures ordines.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non sint septem ordines. Ordines enim Ecclesie ordinantur ad actus hierarchicos. Sed tres sunt tantum actus hierarchici, scilicet purgare, illuminare, & perficere, secundum quos Dionysius distinguit tres ordines (2) in v. cap. eccl. Hierar. Ergo non sunt septem.

2. Præterea. Omnia sacramenta habent efficaciam, & auctoritatem ex institutione Christi, vel saltem Apostolorum ejus. Sed in doctrina Christi, & Apostolorum non fit mentio nisi de presbyteris, & diaconis. Ergo videtur quod non sint alii ordines.

3. Præterea. Per sacramentum ordinis constituitur aliquis dispensator aliorum sacramentorum. Sed alia sacramenta sunt sex. Ergo debent esse tantum sex ordines.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse plures. Quia quanto aliqua virtus est altior tanto est minus multiplicabilis. Sed potestas hierarchica est altiori modo in Angelis quam sit in nobis, ut Dionysius dicit, de celesti Hierar. cap. viii. Ergo cum in hierarchia angelica sint novem ordines, totidem deberent esse in Ecclesia, vel plures.

5. Præterea. Prophetia Psalmorum est nobilior inter alias prophetias. Sed ad pronuntiandum in Ecclesia alias prophetias est unus ordo, scilicet lectorum. Ergo & ad pronuntiandum Psalmos deberet esse alius ordo, & præcipue cum in decretis, dist. xxi. cap. *Psalmista*, Psalmista secundus ab ostiario inter ordines ponatur.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod ordines non debeant distinguui per sacros, & non sacros. Omnes enim ordines sacramenta quædam sunt. Sed omnia sacramenta sunt sacra. Ergo omnes ordines sunt sacri.

2. Præterea. Secundum ordines Ecclesie non deputatur aliquis nisi ad divina officia. Sed omnia talia sunt sacramenta. Ergo omnes ordines sunt sacri.

Sed contra est quod ordines sacri impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. Sed quatuor inferiores ordines non impediunt contrahendum, nec dirimunt contractum. Ergo non sunt sacri ordines.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod ordinum multitudo (3) inducta est in Ecclesia propter tria. Primo propter sapientiam Dei commendandam, quæ in distinctione ordinata rerum maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus; quod significatur in hoc quod Regina Saba videns ordinem ministrantium Salomoni non habebat ultra spiritum, deficientem in admiratione sapientie ipsius, III. Reg. c. x. In IV. Sent. Tom. V.

(2) *Al.* in quinque capitulis. (3) *Al.* ducta.

Secundo ad subveniendum humanæ infirmitati: quia per unum non poterant omnia quæ ad divina mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine: & ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia. Et hoc patet per hoc quod Dominus Numer. xi. dedit Moysi septuaginta senes populi in adiutorium. Tertio ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit, de eccl. Hier. c. v. part. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illa sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos; sed hoc sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos: & ideo secundum diversitatem actuum oportet quod ordinis sacramentum distinguatur, sicut potentie distinguuntur per actus.

Ad secundum dicendum, quod distinctio ordinum non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi: cuius hæc est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius; & ita est hic: tota enim plenitudo hujus sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis: & hoc significatum est in hoc quod Dominus dicit Num. xi. 17. Moysi: *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent onus populi.* Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod in regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam regie potestatis: & similiter est in ordine. In aristocratia autem apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod quidam sumunt sufficientiam ordinum per quamdam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur I. Corinth. xii. Dicunt enim quod *sermo sapientie* competit Episcopo, quia ipse aliorum ordinator est, quod ad sapientiam pertinet: *sermo scientie* sacerdoti, quia debet habere clavem scientie: *fides* diacono, qui prædicat Evangelium: *opera virtutum* subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentie: *interpretatio sermonum* acolytho, quod significatur in lumine quod defert: *gratia sanctorum* exorcistæ: *genera linguarum* psalmistæ: *prophetia* lectori: *discretio spirituum* ostiario, qui quosdam repellit, & quosdam admittit. Sed hoc nihil est: quia gratia gratis data non datur eidem, sicut ordines dantur eidem: dicitur enim I. Corinth. xii. 4. *Divisiones gratiarum sunt.* Et iterum ponuntur quædam quæ ordines non dicuntur, scilicet episcopatus, & psalmistatus.

Et ideo alii assignant secundum quamdam assimilationem ad cælestem hierarchiam, in qua ordines distinguuntur secundum purgationem, illuminationem, perfectionem. Dicunt enim, quod ostiarius purgat exterius segregando bonos à malis etiam corporaliter; interius vero acolythus, quia per lumen quod portat, significat se interiores tenebras pellere; sed utroque modo exorcista, quia diabolum quem expellit, utroque modo perturbat. Sed illuminatione quæ fit per doctrinam, quantum ad doctrinam propheticam fit per lectores, quantum ad evangelicam fit per diaconos;

D

quan-

quantum ad apostolicam fit per subdiaconos. Sed perfectio communis utpote quæ est poenitentiae, baptismi, & hujusmodi, fit per sacerdotem; excellens vero per Episcopum, ut consecratio sacerdotum, & virginum; sed excellentissima per summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis. Sed hoc nihil est: tum quia ordines coelestis hierarchiae non distinguuntur per praedictas actiones hierarchicas, cum quilibet cuilibet ordinum conveniat: tum quia secundum Dionysium, de eccles. Hierar. c. v. part. 3. solis Episcopis convenit perficere, illuminare autem sacerdotibus, purgare autem ministris omnibus.

Et ideo alii appropriant ordines septem donis, ut sacerdotio respondeat donum sapientiae, quæ nos pane vitæ, & intellectus cibatur, sicut sacerdos nos pane coelesti reficit; sed timor ostiario, quia nos separat à malis; & sic intermedii ordines respondent mediis donis. Sed hoc iterum nihil est: quia in quolibet ordine septiformis gratia datur.

Et ideo aliter dicendum est, quod ordinis sacramentum ad sacramentum eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum, ut dicit Dionysius (ubi supra cap. 1v.) Sicut enim templum, & altare, & vasa, & vestes, ita & ministeria quæ ad eucharistiam ordinantur, consecratione indigent; & hæc consecratio est ordinis sacramentum: & ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad eucharistiam: quia potestas ordinis aut est ad consecrationem eucharistiae ipsius, aut ad aliquod ministerium ordinandum ad hoc. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum: & ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, potestatem accipiendi consecrandi corpus, & sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo, sic tripliciter. Primo enim est ministerium quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, licet non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit; & hoc pertinet ad diaconum: unde in littera dicitur, quod ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi: unde ipse sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti: & hoc pertinet ad subdiaconum: unde in littera dicitur, quod vasa corporis, & sanguinis Domini portant, & oblationes in altari ponunt: & ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertio est ministerium ordinatum ad presentandum materiam sacramenti; & hoc competit acolytho: ipse enim, ut in littera dicitur, urceolum cum vino, & aqua præparat: unde accipiunt urceolum vacuum. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta recipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, ut Dionysius dicit, de eccl. Hier. c. 111. part. 1. 2. & 3. Quidam enim sunt omnino infideles, credere non volentes; & hi totaliter etiam à visione divinatorum, & à cœtu fidelium arctendi sunt; & hoc pertinet ad ostiarios. Quidam vero sunt volentes credere, sed nondum sunt instructi, scilicet catechumeni; & ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum; & ideo prima rudimenta ad doctrinam fidei, scilicet verus testamentum, eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumini; & ad hoc habet ministerium ordo exorcistarum. Et sic patet ratio, & numerus, & gradus ordinum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius loquitur de ordinibus non secundum quod sunt sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur: & ideo secundum actiones illas tres ordines distinguit: quorum primus habet omnes tres, scilicet Episcopus; secundus habet duas, scilicet sacerdos; sed tertius habet unam (scilicet purgare) scilicet diaconus, qui minister dicitur: & sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. Sed ordine habent quod sint sacramenta ex relatione ad maximum sacramentorum: & ideo secundum hoc numerus ordinum accipi debet.

Ad secundum dicendum, quod in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium 111. cap. eccles. ubi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud quid proprii ordinis operantur; alii cum sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem, & benedictionis calicem.* Nihilominus erant omnes prædictæ potestates sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea amplius est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis; & secundum hoc dicit Magister in littera, quod Ecclesia alios ordines sibi instituit.

Ad tertium dicendum, quod ordines ordinantur principaliter ad sacramentum eucharistiae, ad alia autem per consequens, quia etiam alia sacramenta ab eo quod in hoc sacramento continentur, derivantur: unde non oportet quod distinguantur ordines secundum sacramenta.

Ad quartum dicendum, quod Angeli differunt specie, & propter hoc in eis potest esse diversus modus accipiendi divina; & ideo etiam diversæ hierarchiæ in eis distinguuntur: sed in hominibus est tantum una hierarchia propter unum modum accipiendi divina qui consequitur humanam speciem, scilicet per similitudinem rerum sensibilium: & ideo distinctio ordinum in Angelis non potest esse per comparisonem ad aliquod sacramentum, sicut est apud nos; sed solum per comparisonem ad hierarchicas actiones quas in inferiores exercet quilibet ordo in eis: & secundum hoc nostri ordines eis respondent, quia in nostra hierarchia sunt tres ordines, secundum hierarchicas actiones distincti, sicut in qualibet hierarchia una Angelorum.

Ad quintum dicendum, quod psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum. Quia enim psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur psalmista, & cantor. Cantor autem non est nomen ordinis specialis: tum quia cantare pertinet ad totum chorum; tum quia non habet aliquam specialem relationem ad eucharistiae sacramentum; tum quia officium quoddam est quod inter ordinis largo modo acceptos computatur quandoque.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod ordo dicitur sacer dupliciter. Uno modo secundum se; & sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam: alio modo ratione materiam circa quam habet aliquem actum; & sic ordo sacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; & sic sunt tantum tres ordines sacri, scilicet sacerdos, & diaconus, qui habet actum circa corpus Christi, & sanguinem consecratum, & subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo etiam eis continentia indicitur, ut Sancti, & mundi sint qui sancta tractant.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

AR-

ARTICULUS II.

Utrum actus ordinum convenienter in littera assignentur.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod actus ordinum inconvenienter in littera assignentur. Quia per ablutionem aliquis preparatur ad corpus Christi sumendum. Sed preparatio sumentium sacramentum pertinet ad inferiores ordines. Ergo inconvenienter ablutio à peccatis ponitur inter actus sacerdotis.

2. Præterea. Homo per baptismum est Deo figuratus, characterem configurantem suscipiens. Sed offerre oblationes sunt actus immediati ad Deum ordinati. Ergo quilibet baptizatus potest hoc actus facere, & non soli sacerdoti.

3. Præterea. Diversorum ordinum diversi sunt actus. Sed oblationes in altari ponere, & epistolam legere ad subdiaconum pertinet; crucem etiam ferunt subdiaconi coram Papa. Ergo hi non debent poni actus diaconi.

4. Præterea. Eadem veritas continetur in novo, & veteri testamento. Sed legere vetus testamentum est lectorum. Ergo & eadem ratione legere novum, diaconorum.

5. Præterea. Apostoli nihil aliud prædicaverunt quam Evangelium Christi, ut patet Rom. 1. Sed doctrina Apostolorum committitur subdiaconis annuntianda. Ergo & doctrina Evangelii.

6. Præterea. Quod est superioris ordinis secundum Dionysium de coelest. hierar. cap. v. part. 111. non debet inferiori convenire. Sed ministrare cum urceolo est actus subdiaconorum. Ergo non debet acolythis attribui.

7. Præterea. Actus spirituales debent corporalibus præminere. Sed acolythus non habet nisi actum corporalem. Ergo exorcista non habet actum spirituales pellendi dæmones, cum sit inferior.

8. Præterea. Quæ magis conveniunt, juxta se ponenda sunt. Sed legere vetus testamentum maxime debet convenire cum lectione novi testamenti, quæ competit superioribus ministris. Ergo legere vetus testamentum non debet poni actus lectoris, sed magis acolythi; & præcipue cum lumen corporale quod acolythi deferunt, significet lumen spirituale doctrinæ.

9. Præterea. In quolibet actu ordinis spiritualis debet esse aliqua vis spiritualis, quam habeant ordinati præ aliis. Sed in apertione, & clausione ostiorum non habent aliam potestatem spirituales ostiarii quam alii homines. Ergo hoc non debet poni actus ipsorum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum consecratio quæ fit in ordinis sacramento, ordinatur ad sacramentum Eucharistiae, ut dictum est, ille est principalis actus uniuscujusque ordinis secundum quem magis proxime ordinatur ad eucharistiae sacramentum; & secundum hoc etiam unus ordo est eminentior alio secundum quod unus actus magis de proximo ad prædictum sacramentum ordinatur. Sed quia ad sacramentum eucharistiae quasi dignissimum multa ordinantur, ideo non est inconveniens ut præter principale actum, etiam multos actus unus ordo haberet, & tanto plures, quanto est eminentior: quia virtus quanto est superior, tanto ad plura se extendit.

In IV. Sent. Tom. V.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est præparatio suscipientium sacramentum. Quædam est remota, & hæc per ministros perficitur, quædam proxima, quæ statim efficiuntur idonei ad sacramentorum susceptionem, & hoc pertinet ad sacerdotes: quia etiam in naturalibus ab eodem agente fit materia in ultima dispositione ad formam, & recipit formam. Et quia in proxima dispositione ad eucharistiam fit aliquis per hoc quod à peccatis purgatur, ideo omnium sacramentorum quæ sunt instituta principaliter ad purgationem peccatorum, est minister proprius sacerdos, scilicet baptismi, poenitentiae, & extremæ unctionis.

Ad secundum dicendum, quod actus aliqui immediate ad Deum ordinantur dupliciter. Uno modo ex parte animus personæ tantum, sicut facere singulares orationes, & votare, & hujusmodi; & talis actus competit cuilibet baptizato. Alio modo ex parte totius Ecclesiæ; & sic solus sacerdos habet actus immediate ad Deum ordinatos, quia ipse solus potest gerere actus totius Ecclesiæ qui consecrat eucharistiam, quæ est sacramentum universalis Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quod oblationes à populo oblatae per sacerdotem offeruntur: & ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium: unum ex parte populi, & hoc est subdiaconi, qui accipit oblationes à populo, & in altari ponit, vel offert diacono; aliud ex parte sacerdotis, & hoc est diaconi, qui oblationes ministrat ipsi sacerdoti; & in hoc est actus principalis utriusque ordinis, & propter hoc ordo diaconi est superior. Legere autem epistolam non est actus diaconi, nisi secundum quod actus inferiorum ordinum superioribus attribuuntur: similiter etiam crucem ferre: & hoc secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, quia in actibus secundariis non est inconveniens diversas consuetudines esse.

Ad quartum dicendum, quod doctrina est remota præparatio ad suscipiendum sacramentum: & ideo pronuntiatio doctrinæ ministris committitur: sed doctrina veteris testamenti est adhuc magis remota quam doctrina novi, quia non instruit de hoc sacramento nisi in figuris; & ideo novum testamentum superioribus ministris pronuntiandum committitur, veteris autem inferioribus. Doctrina etiam novi testamenti perfectior est quam Dominus per seipsum tradidit, quam ipsius manifestatio per Apostolos: & ideo Evangelium diacono, epistola subdiacono committuntur.

Et secundum hoc patet solutio ad quintum.

Ad sextum dicendum, quod acolythi habent actum super urceolum tantum, non super ea quæ in urceolo continentur: sed subdiaconus habet actum super contentis in urceolo, quia aqua utitur, & vino ad ponendum in calice, & aquam iterum manibus sacerdotis præbet, & diaconi; sicut & subdiaconus habet actum solum super calicem, non super contenta; sed sacerdos super contenta: & ideo sicut subdiaconus in sui ordinatione accipit calicem vacuum, sacerdos plenum, ita acolythus urceolum vacuum, sed subdiaconus plenum. Et sic est quedam connexio in ordinibus.

Ad septimum dicendum, quod corporales actus acolythi magis de proximo ordinantur ad actum sacerdotum ordinum quam actus exorcistarum, quamvis sit aliquo modo spiritualis: quia habent acolythi ministerium super vasa in quibus materia sacramenti continetur quantum ad vinum, quod vase conti-

D 2

nen-